

bus, quæ hodie inter Doctores eruditissimos, atque in bonis literis educatos & exercitatos, quique se purgatæ Jurisprudentiæ professores nominant, intercedunt. Quis non videt maximam contentionum inter ipsos partem esse in disputationibus Grammaticæ Latinæ? Nam ob difficultatem, quæ nonnunquam est in rudi & scabro sermone novissimorum Jurisconsultorum Græcolatinorum, alius hoc vel isto modo eum intelligi debere contendit, alius contra aliter accipi debere defendit: atque ad eam rem exempla & auctoritates Ciceronis, Cæsaris, T. Livii adhibent, qui aliter hæc acceperint. Uno verbo maxima pars librorum ab ipsis scriptorum ita scatent citationibus ad Grammaticam pertinentibus, ut pragmatici per contemptum & fastidium usitato scommate *Humanistas & Grammaticos* eos vocitent. Plane in Academiis nostris duo hodie genera, & quasi partes sunt *Legistarum*, quorum alii *Bartolista & barbari* nominantur, alii *Humanista, purificati, & grammatici*: atque horum in numerum nonnulli referunt Franciscum Connanum, dicuntque ejus opera præter rem referta esse disputationibus etymologiam, proprietatemque verborum, & locutionum latinarum

rum